

tempore simul cum lapsu temporis a memoria hominum elabuntur nisi scripturae testimonio perhennentur, ea propter tam praesentibus quam futuri temporis successoribus volumus esse notum, quod dominus Petrus praepositus ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk nomine iam dictae ecclesiae suae a filiis domini Alberti quondam sculteti in Lipzk Heinrico videlicet et Theoderico, Alberto et Hermanno quatuor mansos sitos in pago Debeschitz cum molendino pratis pascuis virgultis aquis et aquarum decursibus et universis ad ipsos mansos pertinentibus comparavit sub certa pecuniae quantitate. Et quia iidem pueri praefatos mansos ab illustri principe Theoderico marchione de Landesbere iure feudali tenebant, ipsos eidem marchioni libere resignarunt, ipse quoque marchio eosdem mansos cum attinentiis praemissis nobis nomine Mersburgensis ecclesiae, a qua eos titulo feudali tenuit, liberaliter resignavit. Nos vero de communi et unanimi capituli nostri consensu, receptis a supra dicto praeposito viginti marcis quas in usum ecclesiae expendimus, saepe dictos mansos cum molendino pratis pascuis virgultis et universis attinentiis suis ut superius est expressum praenominatae ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk dedimus et in ius et in proprietatem ipsius ecclesiae ex nunc in his scriptis transferimus perpetuo possidendos. In cuius rei testimonium praesens scriptum tam nostro quam praefati capituli nostri sigillis fecimus communiri. Datum Mersbure anno gratiae M°. CC°. LXXVI°. II. Kal. Februarii indictione III<sup>a</sup> pontificatus nostri anno X°.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels (das letztere ist sehr beschädigt) an Fäden von rother und gelber Seide.

#### No. 24. 1277. 22. Nov.

*B. Friedrich von Merseburg eignet das Dorf Kunawitz, und zwar zwei und eine halbe Hufe, welche das Kloster von den Söhnen des Ritters Boezlaus von Kunawitz erworben hat, und eine von Conrad von Zorkewitz erkaufte Hufe, nachdem sämtliche Interessenten ihre Rechte in die Hände des Bischofs aufgegeben haben.*

Fridericus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus, ad quos pervenerit praesens scriptum, salutem in eo qui aeterna pro temporalibus recompensat. Quoniam universa quae lunari globo subiecta sunt corruptionibus et mutationibus continuis alternantur, dignum duximus ut ea, quae a nobis aut coram nobis digna memoria gesta fuerint, scripturarum testimonio perhennentur. Proinde tam praesentibus quam futuri temporis successoribus hanc paginam inspecturis volumus esse notum, quod dominus Petrus praepositus ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk ordinis beati Augustini duos mansos et dimidium sitos in villa et pago Kynawiz<sup>a)</sup> cum areis pratis pascuis silvis virgultis aquis aquarum decursibus exitibus et redditibus et universis utilitatibus ac attinentiis suis a filiis Boezlai de Kynawiz militis, qui eosdem mansos cum praedictis attinentiis ab ecclesia Mersburgensi titulo tenuerunt feudali, pro sexaginta et quinque marcis rite ac rationabiliter comparavit.

a) Connewitz Par. Probsthaida.